DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b24967695

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS LESLIE,
Britannus,
CHIRURGUS,
SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS
SOCIUS ORDINARIUS.

" *Quanta siccum jecur ardeat ira.*"
JUVENAL.

Die viii ante Kalendas Julias, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.
1813.

VIRO ILLUSTRISSIMO,

AMICO OPTIMO,

NECNON

AVUNCULO SUO CARISSIMO,

JACOBO SINCLAIR,

COMITI CAITHNESS,

&c. &c.

HAUD BENEFICIORUM IMMEMOR,

HOC, QUALECUNQUE SIT,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

D. D. C.QUE

GULIELMUS LESLIE.

AMICO

SPECTATISSIMO,

HUGONI MACPHERSON, M. D.

LINGUAE GRAECAE

IN ACADEMIA REGIA ABREDINENSI

PROFESSORI,

&c. &c.

QUI

SE BENEFICIO NUNQUAM OBLIVISCENDO,

TUM

PRAECEPTIS ET CONSILIIS

IMBUIT,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRATAS VULT

AUCTOR.

ARCHIBALDO MURRAY,

ARMIGERO,

EDINBURGI DEGENTI,

HAUD MINUS BENIGNITATE,

QUAM BENEVOLENTIA ET MORUM SUAVITATE

INSIGNI,

OB BENEFICIA INNUMERA IN EUM COLLATA,

HOC OPUSCULUM

CONSECRAT

GULIELMUS LESLIE.

To
Colonel M. Murray
with best Compts. & every kind
wish from the Author

DISPUTATIO MEDICA

DE

HEPATITIDE.

QUAEDAM PRAEFANDA.

INTER omnia valetudinis adversae genera, quae aestu et intemperantia nascuntur, nullum saepius humanum genus affligit, cladeve diriore conficit, quam jecinoris inflammatio. Haec sane Britannos nuper aliquanto magis, quam olim torsit: quippe qui relictos penates India Orientali mutare soliti, ibique luxui quaesitissimo dediti, hoc aliisque morbis subeundis avaritiae poenas dederint. Tam gra-

ve argumentum, de quo pauca conscriberem, aliis posthabitis, selegi, non me luce aliqua nova idem illustrare posse professus; sed quo, pro viribus, rem utilissimam brevi et, uti spero, lucida oratione persequar. Qui de hoc morbo egerunt, eundem duplicem proposuerunt; nempe, *Acutam*, et *Longam*, i. e. *Chronicam*. Siquidem neutram ex his cognoscere non plurimi medicorum interest, de utraque paucis disputabo ; et ex *Hepatitide Acuta* incipiam. CULLENUS hanc classi *Pyrexiae*, et ordini *Phlegmasiae* subjectam, hisce verbis definivit : " Pyrexia, hypochondrii dextri " tensio, et dolor saepe pungens, pleuritici " instar, saepius obtusus ; dolor ad clavicu- " lam et summum humeri dextri ; decubitus " in sinistrum latus difficilis ; dyspnoea ; tus- " sis sicca ; vomitus ; singultus."

DE SIGNIS HEPATITIDIS ACUTAE.

Haec, uti aliae inflammationes, incipere solet e gravi animorum et virium languore, et insigni lassitudine. Membra paulo ante inhorrescunt, quam inflammatio accedit; nec raro iste horror hanc illatam comitatur. Paulo postea, aeger incalescit et febrit; et dolor acerbus circa jecur cruciat, modo acutus, saepius hebes, qui manu premente ingravescit. Idem fere ad humeri dextri, modo laevi, summum adscendit, non sine quodam gravitatis sensu. Miser in latus sinistrum cubare nequit, quin cruciatu et molestia vehementiori torqueatur: in alterum vero decumbens expeditur. Arteriae fere concitantur; crebriusque, fortius et durius quam ex consuetudine, moventur. Aeger spiritum difficilius, nec sine dolore trahit; saepe singultit, graviter tussit, at nihil pene

excreat. Pars affecta, dum dolet, intenditur quoque, non sine ardoris sensu. Aliquando dolor spirando altius et plenius admodum intenditur; praecipueque, si pars jecinoris superior inflammatur. Quod si ita se habet, hoc ipso viscere presso, dolor inde excitatus, illico ad humerum dextrum tendit. Interdum pars affecta intumescit et acuitur. Quoties inflammatur concava potius, aut inferior facies, spiritus expeditior et tussis remissior esse solent. At longe gravius turbantur ventriculi et intestini munera. Aeger cibos fastidit, et ingestos evomit. Creberrime singultit. Vomitus accedit fere biliosus. Alvus modo fluit, felle multo descendente; saepius pigra, nil nisi durum et corruptum, aegreque reddit. Urina excernitur biliosa, parca et crassa. Cutis fere inarescit et exardet, nec raro flavet. Neque aliter se habet vultus; qui tamen aliquando collabitur et pallet, aut quasi viridescit. Lingua saepe nigra fuscave sorde obscuratur. Corpus erectum habere insigniter

affligit et fatigat. Stet sedeatve aegrotus, se prorsum inclinare cogitur. Elanguent oculi, quasi luridi. Noctu aeger vigilat, certeve parum dormit; et sub motu vel minimo pessime insudat, unde vires maxime labefactantur.

DE HEPATITIDE CHRONICA.

Cullenus ita hanc definivit: " Haec sae-
" pe nulla, quibus dignoscatur, signa prae-
" bet; aliquando tamen eandem adesse suspi-
" cari potest, ex hepatitidis causis quibusdam
" praegressis, ex sensu quodam plenitudinis
" et gravitatis in hypochondrio dextro, ex
" doloribus plus minusve pungentibus in ea-
" dem parte subinde perceptis, ex dolore
" quodam a presso hypochondrio dextro,
" vel a decubitu in latus sinistrum sentito, et

"denique ex pyrexia leviori cum dictis sig-
"nis subinde infestante."

DE SIGNIS HEPATITIDIS CHRONICAE.

Haec saepius urget, pejusque corpus labefacit, quam altera acuta. Formam porro multiplicem sibi praefert; adeo ut nonnunquam longe aliena mala simulet, et quo morbo aliquis implicetur, compertu sit difficile. Ante acutam exorta gravi metu non vacat: febris enim et dolor levia medicum nisi sagacem et intentum decipiunt. Jecur hic saepe durius et grandius quam ex consuetudine, ventriculum valde gravat et exasperat. Proinde vexant cibi fastidium, vomitus biliosus, inflatio, dolor capitis, et alia istiusmodi. Huc accedunt dolores plus minusve acerbi, sensusque gravitatis et molestiae circa jecur, et ardoris insoliti in partibus interioribus.

Vires et animus jacere coeperunt; et vultus ille nitidus et speciosus, integrae valetudinis index, pallido et exsangui mutatur. Aegrotus, haud secus atque si laboraret inflammatione acuta, facilius in latus affectum cubat; nec raro crudum et biliosum ructat. Urgent porro insignis praecordiorum intentio, nausea atque dolor humeri dextri. Alvus raro integra est; descendit fere stercus pessime olens, crassum et luteum aut atrum. Ubi ad extrema ventum est, tormina, ventris imi dolores, et alvi fluxus vehementer angunt et extenuant. Arteriae inter principia naturales, demum motu incitatissimo et imbecillo tremunt. Tussis vexat, tandem saepe excreata pituita. Urina redditur parca, crassa et rufa. Omnia haec mala, ni ars medica opituletur, vix non in deterius pede praecipiti ruunt. Metuendum igitur, ne infelicem dira febris *hectica* demum extinguat. Hanc vero obrepsisse testantur arteriae vesperi incitatae, sudores nocturni, spiritus impeditissimus, vox languida et rauca, alvus-

que sine modo fusa. Quinetiam noctu miser singultit, et tandem delirat; vires celeri passu labuntur, fato demum aerumnas finituro. Aliquando tamen integerrima perstat mens, ad ultimum usque diem, nec deest spes ipsius salutis.

DE HEPATITIDIS FINIBUS

Rarius hic morbus subito enecat, nisi in terris aestuosis, aut praetermissis auxiliis idoniis. Uti caeterae inflammationes, persaepe *resolutione* et *suppuratione* finitur : ad *gangraenam* autem perraro tendit. Nec vero termino proprio caret, istoque luctuosissimo ; qui *scirrhus* apud medicos vocatur.

De resolutione.—Si tensio, dolor, et tumor, sub idonea curatione sensim jam subsidere inceperint, si arteriae prius concitatae tan-

dem bene conquieverint; si spiritus et munera ventriculi intestinorumque expeditiora facta sint; resolutionem expectare oportet. Hanc autem saepe comitantur et denunciant humorum fluxus abnormes, nimirum alvus profusior et biliosa, urina multa, ex qua rufum subsidit; sanguis hic illic sponte profluens, sudores aequaliter ubique corporis erumpentes, aut sputa copiosa. At simul tenendum, naturam subinde, his absentibus, nisus salutiferos occulere.

De suppuratione. — Si quem ad Indiam Orientalem, aliamve terram sole exustam domo traductum, *hepatitis* acuta implicuit, huic longe frequentius ad suppurationem spectat. Memoria dignissimum est, uti jecur ex omnibus visceribus inflammatum maxime ad hanc tendit, ita potissimum esse eandem pertimescendam. Si mala jam diutius traxerint nihilo remissiora, si arteriae pulsu molliore et incitato exagitantur, horroresque et ardores vicissim infelicem occupant, hunc even-

tum, et eundem minime felicem, expectare licet. Quod si insuper gravitas quaedam et tensio circa jecur sentiuntur, humorque ibi fluctuare videtur, et angunt dira febris *hectica*, alvi fluxus et sudores nocturni, aliquid in jecinore abscessisse constat. Si vero abscessus extrorsum fertur et acuitur, uti locus dubitando deest, ita minus desperandum. Prout haec illave pars suppuret, pus, dirupta ejus capsula, huc et illuc confluit. Ubi exterior pars suppurat et intumescit, humor extrinsecus effunditur, idque aut natura sola moliente, aut arte auxiliante. Nonnunquam in ventrem pus fluit; quod pessimo est habendum, imo saepe fatum arcessit maturum. Si quando pars jecinoris gibba exulceratur, septo transverso eroso, in pectus, vel in ipsum pulmonem, (si *pleura* altera alteri adhaerescit), pus transfertur; unde homo aut derepente strangulatur, aut pure extussito, tarde sanitatem recipit, potiusve miseram trahit vitam, nec penitus integer, neque tamen graviter afflictus. Si autem

pars hujus visceris concava suppuraverit, cum ventriculo aut intestino *duodeno colove*, per vasa saepe committitur; unde pus in eadem receptum, vomitu aut dejectione excernitur. Denique, interdum, incisis mortuorum corporibus, abscessus conspiciuntur, quos nullis indiciis denunciatos, homine adhuc spirante, non fueramus suspicati.

De scirrho.—Huc proprie et frequenter serius ocius venit propositus morbus, maximeque in terris ardenti soli subjectis. Quoties mala leniora diutius subsistunt, febre et anxietate simul exiguis aut nullis, et dolor acerbus cum pruritu subinde cruciat, jecur indurescit et tumet, vultusque demissus squalet, aut quasi nigricat, jecur *scirrho* implicitum esse satis convenit. Quinetiam hunc tetrum eventum testantur et comitantur gingivae malae, oculi flavi, fauces aridae, alvus pigra, dejectiones fellis expertes, et aliae *icteri* notae. Hic finis inflammationem potius et saepius *chronicam* quam

acutam consequitur; fere in *hydropem* terribilem et *icterum* vix medicabilem abiturus. Nec simul inficiandum, jecur aliquando diutius induruisse, haud illis insignientibus malis.

De gangraena.—Rarius haec inflammatio, fortasse nunquam nisi acuta in gangraenam abit. Eam vero instare, aut etiam subesse, et celeriter esse occisuram, patet, si dolores plures dies quaesitissimi demum ex improviso conquieverint; si arteriae subito concidunt, languideque et celerrime moventur; si anima deficit; si corpus sudore gelido diffluit; si miser singultit; si alvus denique citra voluntatem fluit, foetidumque nigrum et biliosum reddit; et vires cum animi, tum quoque corporis, sensim conteruntur.

QUAE CORPORIBUS INCISIS PATEFIUNT.

Quos occidit hic morbus corum corporibus incisis, jecur alias aliter sc habere solet, et speciem prae se multiplicem ferre. Quaecunque vero ultra consuetudinem apparent, triplicem agnoscunt fontem, nimirum inflammationem ipsam, aut suppurationem, aut *scirrhum*. Quoties membrana jecoris exterior inflammatur, solita exhibet hujus actionis indicia: nempe, vasa tumida sua et humorem glutinosum effusum, quo vicinis partibus adhaerescit. Ventre patefacto, dexterior jecinoris lobus praeter consuetudinem amplificatum et induratum esse, nec raro septo transverso adhaesisse reperitur: eodem vero inciso, pus corruptum et sanies persaepe stillant.

Mole pondereque jecur mirum in modum mutatur, interdum insigniter ampliatur; a-

deo ut ad sinistrum ventris latus pertineat, septum transversum valde opprimat, et singula viscera impediat. Gregorius * noster testatur, se inter aegros curandos in Valetudinario Regio Edinensi, bis jecur huic morbo subjectum ponderis insigniter aucti conspexisse; uni nimirum libras octodecim, alteri vix uncias viginti pependisse hoc viscus. Alias vero jecur nihil ostendit insoliti; non omnino mutatis mole, figura et colore: imo vero nonnunquam non solum non intumuit, sed plane extenuata est. Ubi ad suppurationem venitur, grandis abscessus persaepe *lobum* alterutrum corrumpit; nec desunt alii minores hic illic per totam jecinoris compagem sparsi, qui humorem alias alium, modo puri, modo latici consimilem, intus habent †. Lindius memoravit, semel abscessum humore scatuisse adeo acri, ut cartilagines costarum, imo vero costas ipsas exederet. Fistulae

* Audi Praelectiones, anno MDCCCXI—XII.

† Lind on Hot Climates.

bilis modo ultra debitum refertae et tumefactae, alias exinanitae et coarctatae esse inveniuntur. Jecur penitus *scirrho* obturatum, non semper ampliatur, interdum exilius, ut supra proposui. Hydatides alius atque alius molis, et saepe cartilagini similes, jecinori haud raro inhaerent.

Unici LINDIUS et MORGAGNIUS jecur gangraena corruptum scripserunt; quod ita affectum pallere, maculisque purpureis turpari ferunt.

DE MORBI SEDE PROPRIA.

MEDICUS ille praeclarus, SAUNDERS *, aliique quidam auctores, edocuerunt, inflammationem jecoris acutam *arteriae hepaticae,*

* Vide Saunders on the Liver.

chronicam autem venae *portae* surculis proprie incumbere; quo minus autem ita sentiamus, ratio pariter et usus vetant. Neque enim credendum est, integra vena, arteriam, integrave hac, illam inflammari aut incitari posse; nec, incisis corporibus, reperta isti opinioni respondent. Hac igitur missa, altius paulo inquirendum. Satis autem constat, membranas *serosas*, quae viscera circumdant, etsi sane sint hebetiores, inflammatas sensu longe quaesitiori pollere, doloresque et febrem multo acerbiores ciere, quam telam ipsam densatam, quae fabricam viscerum intus constituit. Quinetiam, signa membrana exteriore inflammata exorta *hepatitidi* potius acutae contingunt; quae porro si suppuratione finitur, pus longe frequentius apud jecinoris faciem congestum, exteriore membrana includitur. Hisce perspectis, inducor qui sentiam, uti *hepatitis* tota compage jecinoris inflammata continetur, ita hanc acutam prae caeteris partibus tunicam, *chronicam* autem telam potissimum interiorem af-

ficire. Neque simul non confiteri oportet, hoc probabile, non comprobatum esse aestimandum.

DE QUORUNDAM SIGNORUM RATIONE.

Hypochondrii dextri dolor et intentio.—Dolor et tensio omnium sunt inflammationum communia: referenda, ni fallor, ad vasa ultra debitum repleta et distenta, laticemque glutinosum in cava telae *cellulosae* profusum: unde nervi quoque tenduntur et irritantur. Quoties dolor pungens est, *pleuritici* adinstar, manu opprimente, et spiritu paulo altius tracto, magis exardere notatur: unde manifestum est, in tali casu, gibbam jecoris inflammari faciem, maximeque tunicam. Hinc enim patet ratio non tantum doloris pungentis, et premendo incitati; sed quoque septo transverso ejusve membrana

mali participe, inspirando aucti. Ubi vero dolor hebetior est, minus quoque, imposita manu, increscit, animaque facilius trahitur et emittitur, ideoque judicamus intus jecur fortius inflammari. Compressio enim et septum transversum descendens minus interiora laedunt; quorum porro vasa molli et renitente tela circumdata sanguini vehementer influenti facile cedunt, eoque faciunt ut dolor minus acerbus torqueat. Huc accedit, quod eadem vasa resoluta, sedique laxae inhaerentia, humorem saepe in telam jecinoris *cellulosam* profundunt; id quod etiam tensionem solvit, et dolorem hebetat. Nec absimile est veri laticem istum effusum, postea duratum aut corruptum, *scirrhum* toties inflammationis *chronicae* eventum, magna saltem ex parte, conficere.

Dolor ad claviculam et summum humeri dextri adscendens.—Unde nascatur hic dolor, nequaquam inter medicos convenit. Illud vero constat, summum humeri dextri praeci-

pue dolere, quum jecinoris pars gibba inflammatur, quae nempe contermina est septo transverso. Unde duplex profecta est hujusce signi ratio. Alii opinantur inflammationem jecoris facie convexa orsam, inde facile ad septi transversi membranam et *pleuram* ipsam pertinere; quae jecinore ampliore et graviore intentae, humeri dolorem moliuntur. Aliis autem persuadetur, nervum septi transversi, *phrenicum* scilicet, e dextra parte, propinquo viscere inflammato exasperatum, efficere ut *plexus axillaris* ex eadem parte sui mali particeps fiat, eoque summa pars humeri et *claviculae* doleant: eos vero nervos proprio nexu invicem sociari, patere non solum ex hoc aliisque signis quibusdam morborum, huc, ut existimant, relegandis, sed ex eorum ortu in cervice, alteri cum altero communi.

Decubitus in latus sinistrum difficilis.—Quoniam ligamenta quae jecur fulciunt, nunquam non, uti id ipsum, plus minusve in-

flammatur, necesse est, ut ubi aliquis in sanam partem cubat, jecinore huc sui nutu quodammodo inclinato, illae tenderentur, eoque molestia et dolor acerbiores gignerentur.

Tussis, spirandi difficultas, ct singultus.—Tussis est actio incitata et abnormis fibrarum septi transversi et asperae arteriae; et longe saepius noxa quadam irritatrice huic adhibita cietur. Tam intimo autem consensu haec cum illo committitur, ut, alterutro stimulato, alterum commoveatur. Septi igitur transversi fibris et membranis hic leviter inflammatis, exasperantur asperae arteriae fibrae et intima membrana. Tussis inde exorta sputo fere caret, quia non pituita aliove humore animae fistulam impediente gignitur. Nec absimile est veri pulmonem ipsum inflammationis participem, aliquid interdum ad tussim inferendam conferre, aspera scilicet arteria irritabiliore et sicciore. Aeger spirat difficulter, quia jecur grandius nec raro du-

rius, quo minus septum transversum facile descendat, impedit. Dolor spirando intenditur, ex eo, quod idem descendendo jecur inflammatum opprimit. Si quidem singultus nihil est nisi septi transversi motus quidam abnormis, ratio ejus satis, e supra comprehensis, patet.

Vomitus et alia ventriculi mala.—Haec potius, laborante concava jecinoris parte, torquent; quae, quoniam ventriculo et intestino *duodeno* incumbit, non solum cibi fastidiantur et ingesti respuantur, verum etiam fel ipsum, ejus intestini fibris motu solito contrario agitatis, evomatur, oportet.

Vultus, oculique flavi et dejectiones albidae. Quum pars jecoris concava, ubi fistulae bilis prodeunt, inflammatur, amplificata has opprimit; quo fit, ut profluendi impotens, et ideo ad sanguinem delatum, fel oculos et vultum inficiat: intestinis vero deficiens,

alvum tardet, et dejectiones quadam ex parte candefaciat.

Alvus interdum fusa et stercora biliosa.— Hae notae aliquando inflammationi jecoris acutae contingunt, priusquam ad exulcerationem et febrem *hecticam*, aliumve finem infelicem sit ventum. Jecur, uti alias glandes, inflammatum, plus sui humoris proprii quam ex consuetudine, fere secernere conjicio: quod si ita sit, intestinum bile superfluit, et alvus fusa et biliosa fiet, quoties, inflammata parte gibba sola, fistulae bilis non premuntur; dum contra, alvus pigrebit, et stercus albescet, *icterique* mala propria exercebunt, si inflammatio parti concavae contingit.

DE DIAGNOSI.

Morbi, quorum speciem praecipue hepatitis prae se ferre solet, adeo ut medico minus perito sit errandum, sunt, *pneumonia, gastritis* et *enteritis;* porro, *colica, rheumatismus, phthisis pulmonalis* et *dyspepsia.* Quaedam cum ea, praesertim *chronica,* communia exhibent *pneumonia.* Cui pulmo inflammatur, huic dolor multo magis spiritu trahendo intenditur: huic porro sedes doloris elatior est, et e parte modo dextra, alias laeva. Eidem dolor non manu premente ingravescit, nec proprie ad humeri dextri summum se jaculatur. Quem implicat morbus propositus, in partem dolentem facilius cubat; quem vero *pneumonia,* in partem sanam. Huic febris contingit ardentior, arteriarum motus incitatior, vultus rubore suffusus, tussis pituitam saepe cruentam ejeciens, dolores hinc illuc

palantes, et demum sanguis icta vena detractus, corrio quasi obductus : illi vero vultus demissior, pallidus aut luridus, tussis fere sputo vacua, sanguis interdum pene viridescens; necnon, ista propria, vomitus et singultus crebriores, et persaepe ipsa aurigo.

Gastritis.—Pleraeque notae huic cum hepatitide sunt communes; nimirum vomitus, singultus, cibi fastidium, &c. At vero mali natura artis expertum vix fallit, secum reputantem, illi vires admodum concidere; arterias languide et simul celeriter micare; dolorem circa ventriculum cruciare; cibos illico evomi acceptos, et infelicem valde sitire :. deesse tandem humeri dolorem et alia illius signa praecipua.

Enteritis.—Qui hoc malo vexatur, eum dolores circa umbilicum exercent, alvus tardissima, et vires insigniter lapsae: eidem arteriae motu exili et duro agitantur; quae sa-

tis hanc inflammationem ab hepatitide discernunt.

Colica.—Febris huic et dolor humeri summi nulla, dolores ipsi circa umbilicum premendo leniti, aliaque *spasmi* indicia, penitus dubitare vetant.

Rheumatismus.—Si quando in hunc incidunt musculi costis interjecti, notae quaedam oriuntur, quae clare mali naturam denuntiant. Digito quam levissime premente, pars acutius dolet, et plus minusve rubet. Abest fere tussis, vomitus, singultus: respiritus, etsi doloris aliquid facessit, vix aut ne vix quidem gravis est: dolores sub omni motu ingravescunt, nec raro pectore relicto, ad artus migrant, iterum redituri.

Phthisis pulmonalis. — Non iis assentior, quibus *hepatitis phthisin pulmonalem* simulare videtur; id quod, uti conjicio, non fieri potest, nisi aliquid demum in jecinore abscesse-

rit. At vero priusquam huc sit ventum, febris ea dira *hectica* nulla, dolor circa jecur et ad humerum ascendens, vultus ille squalidus aut flavus, corpus raro insudans, vel malo provecto, lingua sordidissima, &c. aurigo, quo minus haereamus, satis impediunt. Denique huc bene accedit, quod jecinoris inflammatione tentatus, jacente animo, spe fere semper destituitur: dira autem *phthisi* correptus, usque ad extremum spiritum mente fruitur hilari, aut certe serena, nunquam lethi venturi pavida.

Dyspepsia.—Dyspepsia, an *hepatitis chronica* subesset, persaepe dictu est difficile; eoque magis, quod haec omnes illius notas interdum sibi praefert, sui propriis obscuris. Si vero, manu circa jecur aut ventriculum imposita et premente, dolor cietur; si malo provectiore cutis incalescit, et arteriae concitantur; si vultus aliquantum flavet aut squalet, et si sanguine, percussa vena, parcius detracto, aegrotanti succurritur, et hic san-

guis quasi viridis apparet, aut tunica illa corrio simili velatur, jecori morbum incumbere constat. Quod si haec indicia nulla sunt, aut minus evidentia, *hepatitidem* subesse nihilominus judicamus, si aeger aliquamdiu vitam egerit in terris aestuosis, si vino aut gulae se dediderit, si prius hac valetudine plane laboraverit, aut si aqua intercus instat.

DE CAUSIS.

CAUSAE morborum ad duo capita referri solent, quarum nempe aliae *Remotae* nominantur, aliae *Proximae*. *Remotae* vero sunt duplices; quae corpora morbis subeundis aptant, scilicet ad eos propensa reddunt, et quae, substante proclivitate, ipsos excitant. De his nunc disputabo.

Quae proclivitatem faciunt. — Hae longe saepius interiores sunt corpori; quae autem excitant, extrinsecae esse consuerunt. Aliquando sane fieri potest, ut eaedem causae tum proclivitatem, tum etiam morbum ipsum faciant, ut in hac ipsa re. Aestus enim miram proculdubio facultatem habet, uti propensionem, ita quoque morbum inferendi. Aetatis ratio inter noxas propensionis genetrices habenda est: qui enim pubertatem trangressi sunt, imberbibus multo sunt *hepatitidi* opportuniores. Pleni, validi et robusti saepissime in eam incidunt; foeminaeque ideo rarius quam mares aegrotant. Aliquis tumor si venatura, sive arte moliente, fluere solitus, si repente supprimitur, homo facilius in hanc aliasque inflammationes, admota recta noxa excitante, incidit. Eodem spectat luxus omnigenus, cutis ex improviso efflorescere desinens, &c. Quae omnia implendo et irritando operantur.

De causis excitantibus.—Imprimis et praesertim memoratu dignus extat aestus. Hunc jecur proprie incitare, et fel vehementer evocare, res est notissima; cujus tamen ratio hucusque minus patet. Europaei, qui, domibus relictis, ad Indiam demigrarunt, ardoris acerrimi insueti, multo gravius quam ipsi aborigines torquentur. Quibus terris meridiani solis ardores sunt graves, iis noctes roribus scateant, et frigora intentiora habeant, necesse est. Hae noxae invicem illatae facile jecur aliasque partes exasperant et inflammant; aestus nempe praegressus irritando et calefaciendo, deinde frigora, vasa cutis hiantia claudendo, quo minus halitum acrem spirent. Neque aliter nocet frigus, quomodocunque inferatur; at si quis, corpore jam aestuante et sudante, aquam frigidam potuerit, unde non raro jecur et pulmo simul inflammantur.

Ebrietas, gula et omnis intemperantia insigniter ad jecur inflammandum valent. Nec

sane minus hinc quam coeli novi ratione, Britanni ad Indiam advecti, jecore aegrotant. Gregorius enim noster inter praelegendum meminisse consuevit, infelices eos, quos in praelio captos, plures annos in vinculis habuit iste tyrannus Hyder Alli, Britanniae nomini inimicissimus, lacte et oryza vesci coactos, sanitatem recepisse; qui prius luxuriose vivere soliti, cito *hepatitide* perituri fuisse viderentur. Ebrietas hanc molitur, ni fallor, bilem acriorem et uberiorem faciendo. Gula simili ratione nocet; porro, jecur ventriculo praeter solitum repleto oppressum et irritatum, facile in hoc malum incidit.

Quaecunque jecur recto stimulant, ejusdem inflammandi potentissima sunt: hujusmodi sunt, ejus duritia, quae *scirrhus* vocatur, tubercula inhaerentia, calculi ei ipsi aut fistulis ejus infixi, et *hypochondrium* dextrum ictu, aliove impulsu alieno violatum. Eodem quoque pertinent inflammationes visce-

rum huic propinquorum, cursus, ambulatio aut equitatio violentior, motus animi, et caput vulneratum. Ira plurimum valere habetur; nec vero intelligo, cur animus in tantum jecinori imperet. Plerique auctores memorarunt, hanc inflammationem calvariae scissae aut fractae supervenisse. Quod si iis fidendum, vinculo illi miro ventriculum inter et cerebrum deberi videtur: quo fit ut vomitus acerrimus capite laeso natus jecur concutiat et inflammet.

Febres remittentes et intermittentes in regionibus aestuosis *hepatitidem* intulerunt. Hae sane febres omnia viscera cibis concoquendis dicata, et praesertim jecur et lienem, vehementer corrumpunt. Sanguinis cursum huc plurimum augent; unde, jecinoris vasis onustis, felleque acriore, inflammatio sequitur. Girdlestonus opinatur, aquam corruptam stagnorum epotam hunc morbum arcessere posse. Cui assensus Cleghornius, testatur lienem et jecur in quadam parte in-

sulae Minorcae *, ubi aqua minus pura est, saepissime tumefacta reperiri; et CHISHOLMIUS, injuria, ni fallor, pestilentem hunc morbum habuit.

DE PROGNOSI.

QUO melius exitus hujus valetudinis futurus praesagiatur, haecce perscrutari et novisse juvabit: quae ratio valetudinis morbum antecesserit; quamdiu hic ipse afflixerit; idemque mitior an violentior incubuerit: qualis porro aegrotanti sit corporis natura; quae aetas. Quippe quae omnia eventum plurimum regunt.

Si aegrotus acute febrit, si graviter, nec sine dolore, spirat, si pars ipsa vehementer

* Vide Cleghorn on Diseases of Minorca.

dolet; si arteriae crebrius et languidius micant; si cruciant praeter modum delirium, singultus, alvi fluxus et vomitus biliosus, homo in praecipiti versatur. Si aegrotat Britannus, dum Indiam Orientalem accolit, vel etiam domum inde reversus, idemque prius luxu, cibis conditis, et ignavia, vires conquassaverit, cavendum ne medicus specie mali lenioris inani fallatur: id enim lento pede saepe ad suppurationem inopinato tendit. Hanc vero, (quae nunquam non pessima est habenda), venturam fere timemus, si spiritus gravior, tussis assidua, sputi expers, et vertigo accedunt; si aeger singultit, et delirat, neque haec mala auxiliis tempestivis cedunt. Suppuratio eo plus minusve habet metus, prout haec aut illa pars suppuret. Si abscessus extrorsum spectat, non desperandum. Pus in ventriculum, pulmonem, aut intestinum effusum, etsi homo valde emacrescit, non illico necat: quidam sine dubio sub hoc convaluere, pure extussito, aut sursum deorsumve excreto. In pectus autem aut abdomen

conversum, saepius absumit hominem strangulando, aut tabe lenta consumendo.

Si mala sensim quiescunt, et corpus subito leniter insudare coepit, si ex urina rufum subsidit, si vires confirmantur, alvusque biliosa modice fluit, resolvendam esse inflammationem judicamus; id quod die tertio, septimo aut decimo saepius evenit.

Si quando notae gangraenae accedunt, quod raro fit, fatum expectandum.

DE MEDENDI RATIONE.

Quanquam ratio medendi non ex omni parte similis utrique hujus morbi speciei convenit, cum tamen eadem fere alterutra, quae altera, auxilia desiderat, etsi non eadem ratione, copia aut tempore, ministranda; satius

duxi curationem omnem uni capiti subjicere, quam sermonem inutiliter distributione rei multiplici producere.

Triplici consilio exequendo curatio omnis continetur: Hoc autem est,

I. Resolutionem, si fieri potest, moliri.

II. Quod si ad suppurationem venitur, hujus malos effectus lenire aut tollere.

III. Fugata inflammatione, viribus succurrere, et secutura mala prohibere.

I. Quo resolvatur inflammatio, omnibus auxiliis, quibus *regimen antiphlogisticum* continetur, insistendum; eoque potius, si acuta haec urget, qualem in Britannia se exhibet. Ea vero auxilia sunt imprimis, exinanientia; scilicet sanguinis detractio, alvi purgatio aut ductio, exulcerantia, vomitoria, et quae sudorem movent. Quinetiam ex *hydrargyro* praeparata, *acidum nitricum*, fomenta, et victus tenuior, &c.: de quorum singulis nunc agendum.

Sanguinis detractio.—Ineunte jecoris inflammatione acuta, venam nonnunquam ferre oportet. Plus minusve sanguinis mittendum, pro signorum, virium, sexus, et aetatis ratione. Praestat venam brachii incidere; nec simul hirudinibus, aut cucurbitulis cum ferramento impositis, vasa partae affectae quam proxima deplere, alienum erit. Quae sola profecto exinanire decebit, idque parcius, si *hepatitis* Indiae coelo ardente infirmatum occupat, aut *chronica* est.

Alvi purgatio.—Alvum solutam habere, permagni intererit: mature danda sunt remedia ad id idonea. Haec juvant, intestinum sorde exasperatura liberando, moli humorum circumeuntium aliquid demendo, et jecur salutariter et leniter ciendo, eoque sanam concoctionem cibi moliendo. Uti igitur utrique speciei morbi propositi conveniunt, ita praesertim hepatitidi *chronicae.* Aliis praestant, uti conjicio, sales medii: quales sunt *phosphas,* aut *sulphas sodae, tartris po-*

tassae et *sodae*, et *sulphas magnesiae*. Alvus, si pigrior sit, aliquanto acriora desiderabit; nempe *submurias hydrargyri*, radice *convolvuli jalappae* mixtum, &c. Ducere alvum quoque satis convenit, si ejusdem purgationi accedit: at non ductioni soli fidendum.

Exulcerantia.—Cutem, parti affectae emplastro *meloes vesicatorii* imposito, post exulcerare, quam venam secuerimus, remedio semper est praesentissimo. Quo minus inde ren irritetur, et urinae difficultas oriatur, potandi erunt largius glutinosi et diluti liquores. Ulcus arte aliquamdiu servare proderit; idque potissimum, ubi inflammatio *chronica* subest. Hic porro aegrotanti melius succurritur, si *setaceo* cuti infixo exulceramus, aut *fonticulum*, qui vocatur, instituimus; quae satis diu adhibita multum auxiliantur.

Vomitoria.—Quidam medici aegros, jam ineunte morbo, vomere, sumptis medicamen-

tis, cogunt. At vero opinamur, jecinore inde praeter modum exagitato, et felle plenius educto, haec multo magis perniciei, quam opis esse allatura, nisi morbo proposito *chronico*. Tantulum sane medicamenti hujusmodi dare, ut nausea citra vomitum moveatur, in *hepatitidem* acutam juvabit, cor arteriasqae sedando, et sudorem lenem evocando. Difficile autem est hunc citra limitem ejus actionem moliri.

Sudoris moventia.—Praeparata ex *antimonio* et potus tepidi diluti in hunc finem praecipui solent; et in *hepatitide* acuta, auxilio sunt utili et tuto.

Hydrargyrus.—Sub utraque hujus valetudinis forma, ex *hydrargyro* praeparatis utendum. Eadem acuta, dandum est hoc remedium, post exinanentia jam proposita *, resolutione nondum penitus exacta. Si *chronica* subest, a principio ipso *hydrargyrum* ad-

* Vide Saunders on the Liver.

hibere oportebit. Extrinsecus et intus simul optime admovetur; donec, ore solita ratione affecto, et saliva scatere incipiente, probe corpus imbuisse compertus sit. Quod si, prodeuntibus his notis, minus opitulari videatur, non ideo praetermitti debebit: imo contra, nisi vires conquassare coeperit, acrius erit utendus: praecipueque ubi aeger alterutra specie correptus, jam Indiam accolit. Drachma unguenti fortioris quotidie vesperi illinenda est cutis; et ingerendae duae pilulae, quarum utraque granum habeat. Qua ratione juvat *hydrargyrus*, exponere posse non profiteor. Qui novisse juvat, ut utrique hujus inflammationis speciei convenit, ita *chronica* substante, ei magis confidendum esse; at neutri eum solum per se remedium accommodari. Quoties *hepatitis* struma infectum, et domi manentem affligit, metuendum erit ne *hydrargyrus* valetudinem quateret, aut ipsam diram tabem pulmonis arcesseret; quem in tali casu, aut missum facere, aut opio jungere opus erit. Hoc scire licet

vetare, quo minus ille alvum fundat, aut vires conterat; ideoque rite ei adjungi, ubicunque ista mala superventura videantur.

Acidum nitricum.—Primus omnium fertur Scottius, medicus Bombeiensis, hoc acidum in jecinoris inflammationem, et praecipue *chronicam* adhibuisse. Idem dilutissimum intus et extrinsecus admoveri praecepit. Quod tamen, usu constat minime palma, quam primo fuerit adeptum, esse dignum.

Fomenta.—Aqua tepida aliisque istiusmodi partem affectam fovere, ad resolutionem aliquid conferet; certeve dolorem et intentionem leniet.

Victus ratio.—Urgente *hepatitide* acuta, quam maximi refert ut victus ex tenuissima foret materia: carnes omnigenae, assae aut elixae, vitandae erunt. Cibus dari debebit ex frugibus mitibus, et qui facile concoquatur. Potissimum a conditis omnibus abstinendum.

Lac juvabit, ni ventriculus fastidiat, aut minus concoquere possit. Liquores ebrietatis inferendae potentes, cujuscunque sint generis, magis angue et cane fugere oportet. Potui aptissimi sunt liquores succo pomi, aut alicujus fructus istiusmodi, jam maturi, imbuti. Quod si *hepatitis chronica* adest, etiamsi praecepta quodammodo sunt similia, non tamen a vino et carnibus prorsus abhorreri debet ; quae sane ratio vivendi praegressa, aut aetatis, vel imbecillitas ventriculi desiderare potest.

Huic curationis parti non prius finem imponendam judicavi, quam de signis molestioribus leniendis pauca disputaverim. Inter haec praesertim memorare licet, vomitum, aliquando alvi fluxum, tussim, singultum, et *hypochondrii* dextri dolorem.

Vomitum bene consopit medicamentum e *sub-carbonate potassae* et *acido citrico* factum, jam effervescens ingestum ; vel opium,

si illud minus juvat. Plantae amarae et e ferro praeparata interdum huc operam conferunt, praesertim ubi inflammatio *chronica* tentat. Alvus continebitur opio, *extracto mimosae catechu* et similibus accedente; aut aqua, ex qua *amylum* decoctum est, opio imbuta, per alvum infusa. Opium quoque tussim et singultum tollit, certeve sedat. Quod ad dolorem pertinet, hic sublata inflammatione quiescit; si vehementer tamen saeviat, partem dolentem aqua tepida fovere prodest.

Si demum ad suppurationem ventum est, nitendum erit ut pus arte profundatur. Quoties igitur abscessus ad exteriora tendit, acuitur et fluctuat, scapello incidi debet, vel convenientius ferramento, fistula cincto, quae Anglice Trochar et Canula nominantur.

Si vero jecur intus suppurat, et in ventriculum aut pulmonem pus fluit, efficiendum

est, ut quamprimum e corpore excernatur, liquoribus dilutis epotis. Si in pulmonem vertitur, iis, quae tussi leniendae, et pure ejiciendo accommodantur, utendum; nimirum potu glutinoso et acidulo quovis, opio et vino *tartritis antimonii* imbuto; aut vapore aquae ferventis cum anima in pulmonem hausto. Si denique pus in ventrem confluxerit, vix aut ne vix quidem ars medica opem pollicetur. Nonnulli profecto ferramento pus educi jubent; haud secus atque latex in hydrope tollitur. Quum suppuratio omnis corpus mirum in modum infirmat et extenuat, vinum rubrum Lusitanicum nunc modice bibendum; et cibus e carnibus, modo non ventriculum gravet, concedendus. Si alvus praeter modum jam fluat, opio, et medicamentis astringendi facultate praeditis, continenda erit. Morbo tandem devicto, viribus succurrendum, et malis aliter venturis obviam eundum. Viribus succurretur, medicamentis roborantibus, *cinchona* nempe *officinali;* praeparatis ex ferro, vino, et cibo

satis alituro. Eodem quoque spectabit equitare, aut leniter ambulare, rus ire, et aquas medicas potare. Hae equidem inflammatione jam manente, praesertim si *chronica* sit, multum laudantur. At valde suspicor, non tam ipsas aquas, quam iter ad eas jucundum, auras ruris salubres, et quae sunt hujusmodi, proficere. Ventriculus roborantibus jam dictis firmandus.

Denique, si durities aut infirmitas, vel utraque morbo superstes hydropem aegroto minitetur, praeter haec omnia servanda jam dicta, noxae singulae debilitatrices fugiantur, et *scirrhus hydrargyro* simul, *acidoque nitrico* resolvatur oportet.

Non ante hanc disputationem finire placet, quam paucis inquisivero, quid prosit, aut quomodo opituletur argentum vivum hoc morbo aegrotantibus. De qua re profecto nihil comperti habetur. Quibusdam sane, qui se ignaros profiteri, quam spe-

ciem scientiae inanem jactare malunt, hoc metallum veneris et jecinoris malis mederi facultate propria, necdum intellecta, videtur ; haud secus atque *sulphuri* scabies, et *cinchonae officinali* febres intermittentes cedunt. At vero plerisque persuadetur, argentum vivum, potestate ea perinsigni, qua vasa *lymphatica* excitare cognitum est, efficere ut ista materia dura et vitiosa, quae jecoris officia gravat, resorpta tolleretur. Quam plurimae sane notae hanc potestatem arguunt : et hanc amplecti opinionem oportet, donec posteris felicioribus novam claris documentis fultam excogitare contigerit.

" Qualemcunque igitur venia dignare libellum
" Sortis et excusa conditione meae."

FINIS.